



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 65. Tumultus Religionis caussa in Bohemia suscitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

„natus impedirentur, si quam forte Sæcul XVI.
 „eruptionem faceret. Delegatis, & pace A. C. 1554.
 „publica quod petis, cum nos nullum
 „eius rei mandatum habeamus, volu-
 „mus ad nos Principes referre, id, qui
 „quod æquum est, proculdubio facturi
 „sunt., Eodem tempore allatæ sunt
 Alberti literæ, quibus de Antonio Per-
 renoto Atrebatenſi Episcopo graviter
 questus Trevirenſem Electorem, & Ar-
 gentinensem Episcopum, atque ipsum
 etiam Hassiæ Landgravium admodum
 virulente fugillabat, *sanquinarios illos*
equites, qui vitæ ejus sunt insidiati, ap-
 pellitans.

§. LXV.

*Tumultus Religionis caufa in Bohe-
mia fuscitati.*

Sub idem tempus nonnulli tumultus *Sleid. &c.*
 in Bohemia ob Religionis statum *Thw. l. c.*
 fuere exorti: Ferdinandus enim edicto
 promulgato suis mandavit, ne quid in
 Sacræ Cœnæ Sacramento mutarent,
 sed in ejus perceptione secundum re-
 ceptum jam a multis seculis in Eccle-
 sia usum altera contenti specie essent.
 Id cum graviter ferrent Primates, no-
 bilitas, ac pleræque civitates, & de eo
 sæpius Regem interpellassent, de-
 nudo per epistolam multis adductis ar-
 gumentis enixe rogant, ut juxta Christi

G 5 præ-

Sæcul XVI præceptum, & veteris Ecclesiæ con-
A. C. 1554. suetudinem integræ Cœnæ usus ipsis
 permittatur. Ad hæc Ferdinandus die
 vigesima tertia Junii responso Viennæ
 dato hunc in modum rescripsit: „cum
 „ego summus sim Magistratus, cui ob-
 „sequium secundum Deum beatiss,
 „haud satis mirari valeo, quomodo obe-
 „dire mihi recusetis, potiusque novitiis
 „quorumdam opinionibus auscultantes
 „curiositate quadam, & superbia trans-
 „versos vos abripi sinatis, & a via Ma-
 „jorum deflectatis; Porro res hæc pro-
 „fundioris est deliberationis, de qua ma-
 „ture cogitaturus sum, & effecturus,
 „ut intelligent omnes, mihi meorum sub-
 „ditorum salutem, & tranquillitatem
 „curæ esse; sed interim peto, ut morem
 „geratis, & nihil in eo negotio mutetis.
 Ast illi ad ea denuo reposuerunt;
 „non est novum, quod petimus, sed Christi
 „instituto, & antiquæ Ecclesiæ consue-
 „tudini plane consentaneum; non igi-
 „tur curiositas, aut superbia in caussa
 „est, cur hoc beneficio nostrarum con-
 „scientiarum tranquillitati consuli ex-
 „optamus: te quidem tanquam sum-
 „mum Magistratum agnoscimus, cui
 „omnia debemus, & tu a nobis omne
 „obsequium expectare poteris, interim
 „oramus, ne in eo, cum ad Dei Glo-
 „riam spectet, conscientias nostras gra-
 „vari,

„vari, aut diutius tanto beneficio de- Sæcul. XVI.
fraudari patiaris. A.C. 1554.

§. LXVI.

*Cujusdam Her bipolaris Monasterii
Abbas de Lutheri sedis accu-
satus.*

Paulo ante Joannes Frisius Neustaten- *Steidan. l. 25.*
sis Cœnobii in Her bipolari Episco- *p. 949.*
patu Abbas de Lutheri hæresi suspectus *Thu. hist.*
l. 13.
die quinta Maij comparere, ac sexta
post die Her bipolari venire jubeatur,
ut ad quæstiones ipsi proponendas re-
sponderet. Quærebatur autem ab eo:
I. Num liceat jurare, & num jureju-
rando quis obligetur, II. num Casti-
moniæ, Paupertatis & Obedientiæ vo-
tum facere liceat, III. an obligent ejus-
modi vota, IV. num Ecclesiæ ministris
magis conveniat cœlibatus, quam ma-
trimonium, V. an una sit Ecclesia vera,
& Apostolica, VI. num hæc veluti
Sponsa Christi, perpetuo gubernetur a
Spiritu Sancto, VII. utrum vera sem-
per, & salutaria decernat, VIII. an
propter vitia quorumdam, & errores
deserenda sit, IX. an hæc ipsa pro-
pter Caput Christi Vicarium, Romana
recte vocetur, X. an omnes utriusque
testamenti libri, quos Canon habet,
legitimi sint, atque veri, XI. num Sacra
Scriptura sit juxta Sanctorum Patrum,
Eccle-